

*stianam militiam in baptisate professi estis &c. et sine: de die in diem proficiat.*

VI. fol. 65. p. 2. De significationibus indumentorum sacerdotalium. Cuius supra in Synodo. Est Sermo III. edit. p. 265. et incipit: *Quia sanctitatis ministerium* (edit. sanctitas ministerii) *sanctitatem ministrorum &c.* Finit vero: *audientium ista sufficiant.*

VII. fol. 71. p. 2. De conuenientia ueteris et noui sacerdotij. cuius supra. Est Sermo V. edit. p. 272. et incipit: *Beneficia que pro saluandorum reconciliatione &c.* Finit: *non ualuit dicere, quod uoluit.*

VIII. fol. 91. p. 2. Sermo absque rubrica incipiens: *Corruptum peccatis originalibus et actualibus mundum &c.* Est Iuonis VI. p. edit. 284. inscriptus: *Quare Deus natus et passus sit, et finit: uel humana cogitatio comprehendere.*

IX. fol. 95. p. 2. rursus absque rubrica Sermo, qui incipit: *Duo sunt karissimi que principaliter attendere debet humana circumspectio &c.* Est ejusdem Sermo XXII. in edit. p. 300. insignitus: *De Oratione Dominica, et finiens: et omnia corrupta integritati restituat. Prestante domino nostro &c.* En igitur de XXIV. egregiis Iuonis Sermonibus, quos exhibet Editio cit. VII. qui calami adcuratio-  
ne editis parum concedunt.

CCCXXXVI.

R. 3260 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. nunc 176. f. luculen-

te, nitideque perscriptus, ac minio distinctus continet sequentia: I. *Incipit liber Sancti Augustini episcopi. De Agone christiano.* Locum e L. II. *Retract.* c. 3. praemissum: *Liber de Agone christiano fratribus in eloquio &c.* Librarius *Praefationem* inscripsit. Opus ipsum init: *Corona uictorie non promittitur &c.* Textus cum Edit. Maur. T. VI. *Opp. col. 245.* collatus mendis non vacat, rectius tamen c. 2. sub initium legit: *Ibi ergo uincuntur inimice nobis inuisibiles potestates, ubi uincuntur uisibiles cupiditates, quam inuisibiles cupiditates.*

II. fol. 13. *Incipit liber de opere Monachorum.* Praeit eodem modo *Praefationis* titulo *Locus e Retract.* L. II. c. 21. *Ut de Opere Monachorum librum scriberem &c.* Initium Operis: *Iussioni tuae sancte frater Aureli &c.* ut T. cit. col. 475. Dabo et hic discrepantis lectionis specimen e c. 1. *paterne et fraternae caritatis inspirans.* Codex omittit et *fraternae*, recte fortasse; nam de Episcopo sermo est. *Ad eorum correctionem quid dicendum.* Codex plenius: *ad eorum correctionem et ad implendum nostri episcopatus officium contra differendum;* erat enim et Augustinus jam Episcopus, dum hunc *Tractatum* scriberet, ut vel e superiore *frater Aureli* liquet. *De uictu et tegumento nostro esse securos.* Codex magis ad uerbum *Evangeliij: de uictu et tegumento non esse sollicitos. Ab aestu saeculi ueniunt fatigati. Codex ab aestu solis &c.*

III. fol. 34. p. 2. *Augustinus ad Jeronimum. De eo quod scriptum est. Qui totam legem servauerit. offendat autem in uno. factus est omnium reus.* Epistola haec, feu Liber, T. II. edit. cit. n. CLXVII. col. 594. legitur hoc initio: *Quod ad te scripsi honorande &c.* Sub ingressum: *nolui illa te onerare questione, sed tamen Edita melius: nolui alia te onerare questione.* Econtra: *Proinde quero pro quaeso, item quod quomodo salva fiat pro quod modum quomodo salva fiat, cum Codice legendum videtur.*

IV. fol. 40. p. 2. praevio Prologo *Incipit expositio Ruodberti tucensis (Tuitiensis) abbatis super cantica canticorum ad personam Sanctae Mariae edita.* Initium Prologi: *Qui contra hominem similem sibi luctatur &c.* Operis: *Osculetur me osculo oris sui. Quae est ista exclamatio &c.* ut edit. *Opp. Venet. 1749. T. II. p. 373. f.* quacum Textus noster mire consentit, nisi quod in Libros et Capita divisus non est, quae cura posteriorum fuit. Cum Autor egregius vitam ad an. 1135. produxerit, Exemplar praefens eo etiamdum inter nos agente scribi potuit.

V. fol. 128. *Incipit liber Soliloquiorum Ysidori archiepiscopi.* Praefamen adscribam, ut intelligatur, illud, quod *Breulius* in *Edit. Opp. Paris. 1601. p. 323.* Libello *de Contemptu Mundi* praefixit, e nostro corruptum esse. *Venit nuper ad manus meas quaedam scedula cyceronis quam synonyma dicunt. cuius formula persua-*

*fit animo ut quoddam lamentum mihi uel miseris conderem imitatus pro certo non eius eloquium. sed meum uotum. Quisquis ergo ille es libenter id perlege. et dum aduersitatibus huius mundi tangeris. te ipsum censorio iudicio discute. et statim agnosces quia quaecumque aduersa pateris in hoc seculo. retributione tibi iustissima inferuntur. Duorum autem persone hic inducuntur hominis et rationis. desistentis hominis et rationis consolantis. Vix putassem, jam Isidori aevo extitisse Synonyma Ciceronis seu Libellum de Proprietatibus Terminorum sub exordia Typographiae non semel impressum. Interim ad haec adludi manifestum facit ipse Soliloquiorum stilus, unde passim etiam Synonymorum titulo feruntur. Nihil igitur huc facit Ciceronis de obitu Filiae Consolatio, quod putabat Breulius. At vero propter hunc ipsum stilum frivole tautologicum non semel parum abfuit, quin haec Soliloquia ab Isidoro abjudicarem, nisi me retinisset Ildephonsus ejus discipulus, cujus quaedam Scripta eodem stilo ad exemplum, ut solet, Magistri extant. Juvabit hac de re praestolari sententiam, quam ferent novi Isidori Editores Romani. Textus ceterum noster in II. Libros non est divisus, incipit et finit: *Anima mea in angustiis est &c. Tu mihi super uitam meam places; et cum Breuliano probe concordat quoad sensus. Rescribendum tamen sub ingressum Evadendae calamitatis pro Luendae, item Sic legitimum nihil est, et continuandum Sic pro Si &c.**

VI. fol. 147. *Incipit prologus anselmi archiepiscopi In elucidarium.* Ita nempe: *Sepius rogatus a condiscipulis &c. Ut in edit. Opp. Paris. 1721. p. 457. f. Operis ipsius initium: Gloriose magister rogo ut ad inquisita &c. In Codice nostro membrana postrema excidit ad c. 20. L. III. verba: et fragilitate liberi erunt. Non tamen —.* Dialogos hos ob rationes ab Editore Gerberonio in *Censura* praeuia adductas *Anselmi* non esse, etiam mihi liquet; mirari tamen subit, tam brevi post S. Praefulis mortem tempore, quae in annum 9. Seculi, quo Codex scriptus est, incidit, ignorari potuisse, quidnam illius genuinum sit.

CCCXXXVII.

R. 62 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 153. f. min. caractere atro, luculento eleganter perscriptus, rubricisque enotatus sequentia continet D. *Augustini* Opuscula: I. *Incipit liber sancti augustini de uirginitate.* Initium: *Librum de bono coniugali nuper e-*

*didimus &c. Finis: et superexaltate eum in secula Amen.* Extat Ed. Maur. T. VI. col. 341. Lectio nostra sat proba.

II. fol. 28. *Incipit liber sancti augustini de gratia et libero arbitrio ad ualentinum et qui cum illo sunt.* Initium: *Propter eos qui hominis liberum arbitrium sic praedicant. et defendunt &c. Finis: Fratres orate pro nobis — in secula seculorum amen.* Extat Edit. cit. T. X. col. 718.

III. fol. 51. p. 2. *Incipit liber sancti augustini episcopi de disciplina christianorum.* Initium: *Locutus est ad nos sermo dei &c. Finis: Ego et pater unum sumus. Conuersi ad dominum &c.* Extat Edit. cit. T. VI. col. 581. Ex ultima Formula Sermonibus accendendus.

IV. fol. 58. *Aurelij augustini de decem cordis Incipit liber.* Initium: *Dominus et deus noster misericors et uerax &c. Finis: Quod hic desideramus ibi inueniemus. Amen.* Ut Edit. cit. T. V. col. 48. Sed nobis accedunt Versiculi:

*Iste liber modico tenuis sit corpore quamuis.*

*Haut tamen exiguas fert tibi lector opes.*

*Quas tu si capias discrimina mille ualebis*

*Temnere perpetua atque carere fame.*

*Augustinus adest bonus hic athleta famosus*

*Denas qui cordas tangere rite quuit.*

*Exempla istius fuerit quicumque secutus*

*Hic possessor erit, o paradise tuus.*

Ni fallor, vetustae cuidam Editioni *Augustini* a Typographo adiectos vidi.

V. fol. 71. p. 2. *Incipit Prologus Beati augustini episcopi In libro enchiridion ad laur.* Initium: *Di-*